Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1355
Quelle:
Copyright:

ſignificationes in Theograſia ternarius excipiat &c. Finit: *Ego interim ſecedens ad me ipſum. repperiendis ſignificationibus quaternarii attentius aſſiſtam. uacabo placidius.* Et rubrica ſubjecta: *Explicit ternarii expoſitio continens. XX. VIII. figuratiuas ſignificationes.*

An reapſe *Quaternario* calamum admoverit *Odo*, nemo, quod quidem ſciam, Scriptorum tradit. Et ſat erat eatenus prodiviſſe. Ad exponendas enim divinas literas et omnem Morum et Aſceſeos doctrinam nimium ſibi in numerorum vi et virtute myſtica praefidii repoſitum eſſe ducebat, in qua opinione a *Pythagoreis* ſumta, et *Patres* quosdam ante ipſum, et aevo ſequiore *Franciſcum* imprimis *Georgium Venetum* in ſuo de *Mundi Harmonia* opere fuiſſe conſtat. Tempus, quo praeſens Opus elucubratus eſt, duplici indicio deprehenditur; *Parte* enim I. *Clauſula* 3. *Diſt.* 1. nobis *fol.* 30. p. 2. haec legas: *Sic eſt cernere maxime diebus iſtis. quibus francorum electa iuuentus. et uiuida bello nobilitas procerum. amicta ſignaculo crucis. crucis inimicos aggreditur expugnare et transmarinam barbariem tollere de loco ſuo et gente. Rex ipſe clariſſimus. Ludowicus* (VII.) *annos animo. uirtute ſuperans etatem. rem fortiorem annis auſus magni uiri. puer aggreditur. In eandem expeditionem cum manu graui. magnificus quoque rex romanorum* (Conradus III.) *accingitur. Aſſiſtat eis propicia deitas.* Atqui hoc accidit circa annum MCXLVI. Quomodo vero *Odo* Ludovicum *puerum* adpellare poſſit, viderint Autores *de l'Art de verifier les Dates*, qui illum tunc temporis annum ſaltem 27. adtigiſſe ſtatuunt. Alterum indicium habetur P. III. *Diſt.* 4. nobis *fol.* 110. p. 2. ubi legitur Planctus *de obitu celebris memorię Bernardi clareuallenſis abbatis.* Bernardus autem anno MCLIII. ad Superos abiit. Incipit Planctus hic: *Subit a pretitulationis ſerie triadis ad regnum dei aptitudo. At arripit ſibi calamum quę et animum preripuit rememoratio eius. cuius memoria in memoriam euaſit eternam.* Et finit: *Hinc* uel *maxime ſolati diſceſſimus a monumento. et abiit unusquisque in ſua. carne et ſpiritu illius in ſua receptis.* Joh. *Mabillonius* certo certius illum in *Append. Opp. S. Bernardi* edidiſſet, ſi illius habuiſſet notitiam. Extat vero in *Bibl. Paulina Lipſ.* ut *Joach. Felleri Catalogus Mſs.* p. 161. teſtatur. Plura de *Odone* ejusque Scriptis *Car. de Viſch* in *Bibl. O. Ciſt. edit. Colon.* 1656. p. 253. *Caſ. Oudinus de Script. Eccl.* T. II. *col.* 1417. *J. A. Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. edit. Patav.* T. V. p. 159. quos cum recenſu noſtro, ſi lubet, confer.

CCCXLVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 340. 4. non una manu perſcriptus cenſet ſequentia: 641
I. Expoſitionem plurium Terminorum